
DECISIO
SAC. ROTÆ ROMANÆ
CORAM
Reuerendissimo P. D.
LANCETTA
DECANO
IN CAUSA
Parmen. Successionis.
Ven. die 9. Aprilis 1723.



ROMÆ, MDCCXXIII.

Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.

CVM multa, & præclara anteactis temporibus, nedùm Summi Pontifices, sed Reges quoque, & Principes de integritate, & prudentia nostri Sacri Auditorij testimonia perhibuerint, tùm quantâ in ipsum fiducia essent, & quam certam de eius Iustitia, & grauitate spem haberent, nouissimè significarunt Serenissimi Fratres, & Principes Farnesij; Orta enim inter eos difficultate super legitima successione in hæreditate clar. m. Margharitæ Farnesiæ Ducissæ Mutinæ anno 1718. sine liberis ab intestato defunctæ, cum Serenissimus Dux Franciscus in vim generalis renunciationis ad eius fauorem ante contractas cum Rege Catholico nuptias emissæ à Serenissima Nepte memoratæ Margharitæ ex clar. mem. Principe Odoardo fratre vtrinque coniuncto vniuersam sibi hæreditatem assereret ex præscripto Iuris communis in *Auth. cessante, & Auth. post fratres, Cod. de legit. hæredib.*: Contra verò Serenissimus Princeps Antonius patrio statuto innixus eandem hæreditatem inter ipsum, & Serenissimum Ducem defunctę Ducissę fratres consanguineos ęquo iure diuidendam fore sustineret, exclusa penitùs laudata Serenissima Nepte; quæstionem hanc illustri apud Posteros fraternę charitatis, & moderationis exemplo nostro Sacro Tribunali, prout Iuris est, decidendam, compromiserunt. Remotis igitur Fori Iurgiis, & quocumque strepitu, aut figura Iudicij sub die 13. Februarij proximè elapsi ex decreto PP. vti Decanus, & vniuersi Tribunalis nomine solemniter acceptaui Instrumenta Compromissi à Procuratoribus Serenissimorum Fratrum mihi præsentata, & deindè postquam Partes apud me exhibuerunt documenta ad Causam facientia: Idem Sacrum Tribunal, vt expectationi Excelsorum Principum quam plenissimè responderet; maturè ponderatis, discussisque Iuribus tàm in scriptis, quàm in voce à celebrioribus nostrę Curiæ Iurisperitis pro Causæ dignitate luculenter vtrinque deductis, hodiè tandem respon-

dit, *Successionem deberi vtrique ex Serenissimis Fratribus pro medietate*.

Traxit Patres in hanc sententiam receptissima illa Iuris regula, quod vbi aliter Ius commune, & aliter Statutum Loci successionem deferat, non Ius commune Romanorum, sed Statutum attendi debet, quod dicitur, & est Ius proprium eius Loci, seù Ciuitatis, *leg. omnes Populi, vbi communiter Scribentes, ff. de Iust., & Iur., Alciat. respons. 56. num. 3., Rot. coram Coccin. decis. 1680. num. 67. & coram Cels. decis. 125. num. 5.* cum alijs in *Fauentina Successionis 2. Iulij* 1708. §. *Hæc autem coram Reuerendissimo D. meo Aldrouando.* Vnde cùm in Statuto, quod Parmæ viget, titulo *de Successione ab intestatò fratrum, & filiorum eorundem*, expressis, disertisquè verbis caueatur, *quod mortuo aliquo, vel aliquibus ab intestato &c. talibus sic defunctis succedere debeant fratres vtrinque coniuncti, & ex altero Parente tantum si adsint &c, exclusis sororibus defuncti, & alijs fœminis*; nil proponi visum fuit, quo minùs, exclusa dicta Serenissima Nepte, successio in hæreditate clar. mem. Ducissæ Mutinæ, tàm Serenissimo Duci Francisco, quàm Serenissimo Principi Antonio eiusdem defunctæ fratribus superstitibus deferri debeat, iuxtà doctrinam *Bald. in leg. Gallus §. Si Reus notab. 2. ff. de lib. & posth.*, quam passim sequitur *Rota*, *& præsertim in Æsina Dotis 1. Aprilis* 1718. §. *Hinc Domini, & in Reatina Successionis 16. Iunii 1719. §. Omissa siquidem coram R. P. D. meo Corio*.

Quod enim dicebatur Statutum non applicari ad casum ex duplici capite. Primò nempè, quia Serenissima Elisabeth, cuius Iuribus Cessionario nomine vtitur D. Dux, est Neptis defunctæ Ducissæ ex fratre vtrinque coniuncto, cum DD. Fratres superstites ex Paterno tantum latere cum eadem Ducissa coniuncti sint; Et secundò, quod personæ, de quibus agitur, propter Excelsam Natalium, & gradus dignitatem à legibus municipalibus solutæ sint, & immunes; in nulla sui parte subsistere videbatur: Et quod attinet ad primam obiectionis partem, Sacrum Tribunal non vnam aliquam Statuti particulam, sed vniuersum illius contextum ponderans, tùm respectu eius, de quo agitur, capitis, tùm quoque antecedentis, & subsequentis, iuxtà monitum Iuris Consulti in *leg. inciuile ff. de legib.* præclarè adeò sublatum per illud censuit vinculum maternum, seù cognatitium, vt meritò de duplicitate vinculi nullam omninò rationem haberi posse putauerit.

Neque verò ad hunc effectum insistere opus fuit generali illi Iuris præsumptioni, propter quam receptum communiter est, vt in omnibus Statutis, in quibus fœminæ propter masculos excluduntur, censentur regulariter statuentes ad solam agnationis quali-

qualitatem in eisdem masculis respexisse, sicuti aduertunt *Brun. de statut. exclus. fœmin. art.4. nu.6. Merlin. de legit. lib.3. tit.1. quæst.2. num.2. & seq. Rot. in rec. decis.563. num.2. par.1. & decis.461. num.5. par.2. & in Fulginaten. Successionis 2. Maii 1718. §. Deindè coram R. P. D. meo Falconerio dignissimo Almæ Vrbis Gubernatore.* Et ob istam contemplationem reiectis, nouissimis Iustiniani legibus masculos, & fœminas in succedendo coæquantibus, jus successionis pristino, & antiquo Iuri duodecim Tabularum, & legis Voconiæ restituere voluisse ad terminos *Text. in leg.1. Cod. de legit. hæred.* sicuti aduertunt *Luderch. cons.54. nam.3. & per tot. Marth. de success. legal. par.3. qu.4. art.4. sub num.12. Cyriac. controu.353. num.26. & seqq.* & latiùs in *Fauentina Successionis 2. Iulii 1708. §.12. & seq. cor. Reuerendiss. D. meo Aldrouando.* Nam quòd Statutum Parmæ materno, & cognatitio vinculo minimè curato, non aliam vbique habuerit, quam agnationis contemplationem, manifestum facit littera ipsa Statuti, in quo si de successione descendentium agitur, expresè cauetur, quod extantibus filio, vel filijs masculis, nepotibus, vel pronepotibus, alijsque descendentibus de Caxali, filia, neptis, vel proneptis, tàm dotatæ, quàm quas masculi dotare parati sint, ità ab hæreditate Defuncti arceantur, *vt nullum amplius ad bona Paterna, Auita, vel Proauita possint habere regressum*; Immò verò si dictæ fœminæ decesserint antequam dotentur, vel nubant, expresè etiam disponitur, quod masculi, qui habebant potestatem, & facultatem dotandi, succedant ipsis mulieribus in ea dote, omnibus alijs exclusis, vt latiùs habetur *lib.2. Statutorum sub rubrica, quod filiæ, & aliæ fœminæ descendentes &c.*

Si verò agitur de successione Collateralium, nedùm semper vocantur masculi sub ea qualitate, quod sint *de Caxali defuncti, de Caxali Patris, de Domo, de linea Paterna*; Nedùm ad successionem vna simùl cum fratribus vtrinque coniunctis vocantur fratres consanguinei tantum, & nepotes ex eis ibi = *Talibus sic defunctis succedere debeant fratres vtrinque coniuncti, & ex altero Parente tantum, si adsint, & quod sint de Caxali defuncti, & nepotes ex fratribus de Caxali, vt supra vna cum prædictis fratribus in stirpem coniunctim, non autem ordine successiuo*; Et insuper ijdem fratres, & nepotes æquè præferuntur in hæreditatibus masculorum, ac in hæreditatibus fœminarum, siuè fœminę dotatę fuerint, siuè non, dummodò parati sint illas condecenter dotare, cum hoc etiam, quod fœminæ dote sibi constituta, sint tacitæ, & contentæ; Verum præterea non alia ratione ita statuitur, nisi quia *sat congruum sit hæreditates defunctorum sine testamento, vel ab intestato liberis masculis non extantibus ad proxi-*

 mio-

niores masculos de Caxali defuncti deferri, prout ad litteram legitur eodem *lib.2. sub rubr. de successionibus ab intestato fratr.*, *& filior. eorundem*.

Et denique si agitur de successione Ascendentium, ab hæreditate filij, vel filiæ, stantibus masculis de Caxali vsque ad quartum gradum inclusiuè, non modo excluditur mater, sed excluduntur etiam quicumque alij siuè Ascendentes, siuè Descendentes, siuè Transuersales Defuncto attinentes per lineam maternam, idque nominatim, & expressè *ad conseruandam Agnationem*, *& nomen Caxalis defuncti*, vt constat ex altera rubrica, *quod Mater non succedat filio &c. eodem libro 2.*

Si igitur ad effectum, vt de vinculo cognatitio, & materno nulla ratio haberi debeat, satis est, quod Statutum Agnationis contemplationem etiam tacitè, & virtualiter in obiecto habuerit, cum causa ista finalis æquè vigeat, & impleatur in ijs, qui duplici, ac in ijs, qui paterno tantum latere coniuncti sunt, vt per *Text. in leg. à Titio ff. de verb. oblig. probant Ladereh. d.cons.54. sub num.5. Menoch. cons.187. num.3. & seqq. & num.28. Hodiern. ad Surd. decis.239. num.2. Magon. decis. Florent.82. n.4. Rot. coram san. mem. Alexandro VIII. decis.91. num.94. & in dicta Faucntina Successionis §.25. & 26. & per tot. coram Reuerendissimo Aldrouando*; Nullus sanè in hoc remanere potest ambigendi locus quoad casum præsentem, in quo agitur de Statuto, quod nedum in omnibus supradictis casibus ad solam Agnationem respexisse semper videtur, per ea quæ in similibus circumstantijs sparsim considerant *Tob. Nonius cons.12. num.6. & seqq. Gobb. consult.149. num.31. & seqq. R. P. D. meus Calcagninus in suis obseru. pract. legal. par.2. obseru.5. nu.22. cum seqq. Rot. coram Dunoz. sen. decis.200. num.9. & seqq. & in rec. decis.1. num.54. & seqq. par.10. & in Baren. Immissionis 3. Iunii 1709. §. Votum coram Reuerendiss. Aldrouando*, *& in Vrbanien. Fidoicommissi 13. Februarii 1716. §. Votum coram Reuerendiss. Rauennaten.*, *& in Aquipenden. Successionis*, *& Legitimæ 22. Ianuarii 1720. §. Quæ quidem coram R. P. D. meo Falconerio Vrbis Gubernatore*; & in puncto huius Statuti firmant ibi *Glossatores verb. ad proximiores masculos*, iuxta impressionem *Erasmi Viothi fol. mihi 118. à terg. Gargiar. cons.45. per tot.*; Verum præterea Agnationem ipsam expressis, dissertisque verbis sub duabus istis posterioribus rubricis pro causa finali considerauit, & insuper in eisdem vinculum cognatitium, & maternum perpetuo, & ad litteram substulit, & exclusit, vt præcisè aduertunt *Ger. Spin. cons.78. num.6. Menoch. cons.178. num.9. Laderch d. cons.54. num.5. vers. confirmatur, Cafareg. ad Stat. Ian. de succ. ab intest. §.4. num.4. Rot. in dicta*

Fa-

Fauentina Successionis §. 10. *coram Reuerendissimo Aldrouando*, & in puncto de hoc Statuto Parmæ *Ruin. cons.29. num.3.4. & 6. lib.3. in fin.*, vbi probat duplicitatem vinculi nihil operari.

Nil propterea vrget, quod idem Statutum, in eo, de quo agitur, capite præferre videatur agnatis masculis filias fœminas defuncti in illis verbis ibi = *Ex quo, vel ex quibus filii, vel filiæ &c. non superfint* = Quidquid enim sit an propter istam partem conditionalem filia superstes Patruum excluderet, de quo articulo agit *Card. de Luc. de succesf. disc.21. num.3. & seqq.* quatenùs etiam hoc signato casu masculi per fœminas excluderentur, non ideò tamen Satutum desineret esse Agnatitium in aliis casibus, in quibus soli masculi ad succesfionem vocantur, vt in terminis aduertunt *Soccin. iunior. conf.23. num.37. Casareg. ad Stat. Ian. resolut.1. num.39. Rot. in d. Fauentina* §.22. *cor. Reuerendisf. Aldrouando, & in d. Fulginaten.* §. *Nullam coram R. P. D. meo Falconerio*.

Proût quoque minùs vrget, quod Statutum in eodem capite vltra forores defuncti excludat solum alias fœminas, *quæ alias de iure communi fuccederent paritèr cum prædictis masculis*; Hæc enim verba accipienda sunt non quidem in eo sensu, quod scilicet Statutum excludere voluerit eas fœminas, quæ ob vinculi duplicitatem præferri de Iure deberent fratribus consanguineis, sed in alio longè diuersò, quod nimirùm censeantur exclusæ nedùm sorores, sed etiam illæ fœminæ, quæ jure repræsentationis potuissent cum Patruis concurrere: Ita enim cum verbis Statuti conciliatur mens statuentium semper, & solum directa ad agnationem conseruandam; Ità hoc caput benè conuenit, & cohæret cum alia subsequenti rubrica, sub qua vinculum maternum, & cognatitium penitùs tollitur, ac deletur; Et ita demum hæc pars conciliatur, & consonat cum cæteris aliis eiusdem rubricæ partibus, ex quibus ad litteram habetur, quod Statutum postquam considerauit casum, quo superstites defuncti sint fratres, & nepotes, transeundo ad alium, quo neque fratres, neque nepotes existant; vocat eo casu mascnlos remotiores de Agnatione, *exclusis similiter fœminis, quæ cum ipsis transuersalibus alias de iure communi fuccedere deberent, vt supra dictum est vel quæ præferri deberent masculis de Casali, seù domo defuncti*: Et tandem reassumendo primum casum, quo existant fratres, aut nepotes, sed superstes quoque sit Pater, vel Auus, vel alter Ascendens ex linea Paterna, disponit pariter, & mandat, quod prædicti Ascendentes admittantur, & vocentur ad hæreditatem defuncti *vna cum prædictis fratribus, aut nepotibus, proùt iura disponunt exclusis semper prædictis fœminis*.

 Si

Si enim inter *prædictas fœminas*, quas Statutum voluit semper, & perpetuò exclusas, & illæ quoque nominatim suprà expressæ fuerant, quæ præferri masculis debuissent, ecce clarior quàm quòd dici valeat exclusio omnium fœminarum in quocumque casu fratres existant, & siuè dictæ fœminæ sint ex illis, quæ cum fratribus concurrere, siuè etiam de alijs, quæ fratribus præferri deberent; Nàm si Statutum in dicto secundo casu non curauit istam vinculi duplicitatem, & prælationem ex ea descendentem secundùm Ius commune quo minùs sororem etiam vtrinque coniunctam excluderet fauore Agnatorum remotiorum; Si rursùs illam non curauit in tertio casu quo minùs fauore ipsorum fratrum, quatenùs cum eis etiam Ascendentes Paterni superessent, sorores, aut neptes vtrinque coniunctas à succeden do prohiberet; Nemo sanè dixerit illam in primo casu præseruare voluisse, dum reuerà inter primum, & tertium casum nulla intercedit rationis diuersitas; Etsi primus couferatur cum secundo, longè magis æquum est, vt soror, vel Neptis vtrinque coniuncta excludatur à fratre, vel Nepote consanguineo tantùm, quàm quod excludatur ab Agnato remotiori *Gabr. cons.* 15. *num.* 8. *lib.* 2., *Ruin. cons.* 37. *num.* 9. *lib.* 3., *Corn. cons.* 188. *sub nu.* 11. *lib.* 2., *Surd. cons.* 85. *ferè per tot.*, *Brun. de Stat. exclus. fœm. art.* 12. *quæst.* 16. *vers. tertius casus*, *Casareg. ad Stat. Ian.* §. 12. *num.* 32., *Rot. in dicta Reatina Successionis* 16. *Iunii* 1719. §. *Imo cor. R. P. D. meo Corio*.

Quod igitur attinet ad hanc primam obiectionis partem iure, meritoque PP. ex his concluserunt venienti ex Iuribus Serenissimæ Neptis defunctæ Ducissæ Margharitę, nullo modo opitulari posse duplicitatem vinculj, quo minùs iuxtà dispositionem Patrij Statuti excludatur à Successione defunctæ Ducissæ per Serenissimos eius Patruos superstites; Sicuti enim si de tempore apertæ Successionis in humanis adhùc fuisset clar. mem. Princeps Odoardus eius Pater, sub obtentu duplicis vinculi, quo cum defuncta Ducissa coniungebatur, excludere ab illius hæreditate nequiuisset cœteros fratres consanguineos tantum; quippe quia Statutum sublato vinculo materno exæquat in omnibus fratres consanguineos, & vtrinque coniunctos, eosque simùl in vocatione coniungit ibi = *Fratres vtrinque coniuncti, & ex altero Parente tantùm* = & infrà = *Coniunctim non verò ordine successiuo* = quæ sanè verba simultaneam vocationem inducunt, *Altograd. cons.* 60. *num.* 36. *lib.* 2., *Card. de Luc. de Success. disc.* 18. *num.* 5., & 6., *Constant. ad Stat. Vrb. annot.* 40. *num.* 32., & *seq.*; *Rot. post Fenzon. decis.* 218. *per tot.*, & in fortioribus terminis in totiès dicta *Fauentina Successionis* §. 29., & *seq.*. Ita, & longè minùs eadem Serenissima Elisabeth ratione dicti duplicis vinculi exclu-

de-

dere potest Patruos superstites, nè aliàs contrà Iuris rationem duo admittantur grauissima absurda, alterum nempè, quod melior sit conditio filiæ, quàm fuisset Patris, in cuius gradum ipsa filia subingreditur, & alterum, quod vinculum cognatitium, & maternum, quod masculo non profuisset, fœminæ prosit, sicuti ad rem ponderant *Bellon. de Iur. accresc. cap. 9. quæst. 12. num. 73.*, *Rot. coram Seraph. decis.* 496. *num. 3.*, *& seq.*, *& in recent. decis. 104. num. 2.*, *& seq. parte 1. decis. 15. num. 5. parte 9.*

Transeundo itaque ad aliam obiectionis partem, in qua dicebatur non posse in casu procedi cum Statuto Parmæ, ex quo tum defuncta Ducissa Mutinæ, de cuius hæreditate agitur, tum Serenissima Neptis eiusdem Ducissæ, quæ est fœmina exclusa, tum denique Serenissimi Fratres superstites, omnes quidèm proptèr Excelsam Nataliuni, & Gradus Dignitatem; Illæ verò etiam ex quo nuptæ fuerunt extrà Territorium, à nexu, & censura dicti Statuti soluti sint, atque immunes: Sacrum Auditorium, quod attinet ad hunc articulum, illud primùm censuit in præsenti casu statuendum, quod ad hoc vt Statutum suum effectum operari possit, minimè opus est, quod persona exclusa sit subiecta Iurisdictioni Statuentium, sed sufficit subiectio bonorum, & personæ excludentis, atque ad summum secundùm aliquos subiectio illius, de cuius hæreditate agitur, iuxtà opinionem, de qua *Surd. cons. 343. num. 9.*, *Peregrin. cons. 90. num. 19. lib. 1.*, *& decis. 56. num. 7.*. *Thesaur. quæst. forens. lib. 2. parte 4. num. 19.*, *& seq.*, *Merlin. de legit. lib. 3. tit. 1. quæst. 18. nu. 51.*, *& seqq. Card. de Luc. de success. disc. 19. sub. num. 3.*, & quam in his terminis semper tenuit *Rota*, vt in *decis. 304. num. 9. parte 1. diuers.*, & post *Fenzon. decis. 97. per tot.*, *& coram Duran. dec. 31. num. 8.*, *& 9.*, *& coram Royas decis. 104. num. 7.*, *& seqq.*, *& in rec. decis. 264. num. 6.*, *& decis. 582. num. 11.*, *& seqq. part. 5.*, *& dec. 171. nu. 3. par. 16.*

Hoc autem posito iam quisque planè videt quàm sit extraneum à præsenti quæstione subtiliùs inquirere, an alienum videri possit à Regali, qua Serenissima Elisabeth præfulget Maiestate, quod Patrio Statuto afficiatur, cum præsertim in ipsa cessione separata ab ipsa fuerit Persona priuata à Persona Principis, & cessio, ac renunciatio in Serenissimum Ducem collata, non tamquàm in Principem, sed nominatìm, & expressè tamquàm in Personam priuatam, quæ vti talis à Persona Principis longè differt, ac distinguitur; *leg. 1. Cod. de offic. com. rei. priuat. lib. 11.*, *l. 2. 3.*, *& 4. Cod. de fund. rei priuat. cod. lib. 11.*, *Hugo Grot. de Iur. Bell. lib. 2. cap. 14. §. 2.*, & ibi *Adden. Bartol. ad tit. Cod. de Iur. Fisc. lib. 10. num. 17.*, vbi *Cuiac. Peregr. de Iur. Fisc. lib. 1.*

tit. 1. num. 6., *Mastrill. de Magistrat. lib. 1. cap. 13. num. 5.*, *Antunez. de donat. reg. lib. 3. cap. 43. nu. 1.*, *& seq.*

Sepositis igitur ijs omnibus, quæ præter causæ necessitatem super hoc adstruebantur, strictè ad punctum difficultatis, nulla sanè incidebat dubietas super subiectione bonorum cum Scribentes hinc inde illam admitterent; sed nulla etiam versari poterat dubitatio circà subiectionem Excludentium; Nàm licèt alter ex eis sit Serenissimus Dux, Parmæ Dominus, & alter Serenissimus Princeps Antonius defunctæ Ducissæ fratres; cum tamen eorum subiectio quoad præsentem effectum eo solùm pertineat, vt actiue compræhendantur sub huiusmodi Statuto, itaùt eius beneficio fruantur in exclusionem fœminarum; Ad hunc sanè effectum quicumque is fuerit, à quo Statutum vim legis acceperit, nedùm alienum non est ab eorum Dignitate, sed imò quàm maximè congruum, vt quo beneficio cœteri de Populo vtuntur, & ipsi quoque frui valeant: In ea enim quæstione, an, & quomodò Princeps legibus afficiatur; controuersia quidem est quomodò passiue afficiatur, puta an Statutum operari possit cum de ipsius Principis hæreditate agitur, qui sanè non est casus, de quo in præsenti quæritur: Minimè verò an quod in aliorum Ciuium beneficium salubritèr constitutum est Principem quoque, & eius familiam actiuè compræhendat; Qui enim à beneficio legum, & Statutorum Principem prohiberet, is non sibi Principem, sed exulem proponeret, & capite dimiuutum §. *Quod autem Inst. de capit. diminut. leg. tutelas §. Item ff. eodem tit.*, *leg. sunt quidam 18. §. 1. ff. de pœn.*, & in terminis dixerunt *Bald.*, *& Roman.* quos citat, & sequitur *Natt. cons. 44. nu. 4.*

Haud igitur controuerti debet quin Serenissimi Fratres Statuto huiusmodi afficiantur; Cum enim per illud, beneficium excludendi conferatur in omnes Ciues, collatum quoque censeri debet in Principem, & eius familiam; nam D. Dux cum quasi quodam priuilegiario Iure Ciuis sit omnium Ciuitatum, quæ sub eius dominio sunt ad tradita per *Fritkiltk opusc. tract. 2. de Palat. cap. 4. num. 3.*, tum verò Parmæ, quæ est Ciuitas eius Dominij Sedes, & in qua natus, & educatus fuit, propriè etiam, & per naturam Ciuis est, imò Ciuis inter cœteros Primus, vt ad rem considerant *Suares de legib. lib. 3. cap. 35. num. 54.*, *Vasq. controu. Illustr. lib. 1. cap. 26. num. 6.*, *Dian. tom. 6. de legib. tract. 1. resolut. 53. num. 10.*, *Salas de legib. tract. 14. sect. 2. num. 23.* Quamobrem aut ipse vult vti Statuto, & cessat omnis quæstio, cum sine dubio possit *Bald. in leg. legati 4. Cod. ad leg. falcid.*, *Castren. in leg. digna vox Cod. de legat.*, *Brun. de Stat. exclus. fœmin. art. 6. num. 67.*, *& seqq.*, *Merlin. de legitim. lib. 3. tit. 1. quæst. 16. num. 9.*, *Menoch. lib. 2. præsumpt. 5. num. 4.*, *Adden.*

den. ad Gregor. decis. 279. *num.* 23., *& 24.* Aut verò vti non vult, & hoc impedimento esse non debet quin D. Princeps Antonius eòdem Statuto vti valeat; Imo si Serenissimus Dux vellet abstinere, vniuersam hæreditatem eo casu consequeretur idem Serenissimus Princeps Antonius, *Carpan. ad Statut. Mediolan. tom* 1. *cap.* 278. *num.* 110., *Michalor. de Fratrib. par.* 3. *cap.* 11. *num.* 81., *Bellon. de Iur. accresc. cap.* 7. *quæst.* 61. *num.* 20., *& seq.* Absit enim, vt de Pijssimo, ac Iustissimo Principe, cuius virtus, & integritas cunctis Mortalibus exemplo; Nobis autem, cùm ex alijs pluribus cognita, tùm ex hoc ipso compromisso exploratissima est, quis adeo male sentiat, vt putet ipsum per absolutam potestatem, quam nemo bonus in bono Principe agnouit, *Anton. Faber. Iurispr. Papin. tit.* 1. *par.* 2. *confut.* 3., *& tit.* 2. *part.* 8. *illat.* 2. *in fine*, tollere, aut minuere quidquam velle de Iure obsequentissimo fratri per Patrium Statutum iam plenè, & perfectè quæsito ad *Text. in l.* 2. §. *Meritò*, *&* §. *Si quis ff. ne quid in loco publico*, quo post alios complures vtitur *Rota in Romana, seù Florentina Pecuniaria* 8. *Martii nuper elapsi* §. *Et ita insuper cor. Me*.

Certùm namque est, quod semel, ac de medio adest D. Princeps masculus à Statuto litteralitèr vocatus, iam D. Dux consideratus dumtaxàt in figura Cessionarij nullam in hac successione partem vindicare sibi potest. Vnde eidem Serenissimo Duci nihil vltrà superest, quam Ius adspirandi ex persona propria ad dictam Successionem, & quidem virtute Statuti, quod illam vtrique fratri superstiti æqualitèr defert, vt in simili casu de Magno Duce Hetruriæ contendente de Successione cum fratre notauit *Gall. d. cons.* 10 *num.* 9.

Quæ igitur in causa superesse potest difficultas vnicè versatur circà compræhensionem passiuam clar. mem. Principissæ Margharitæ, de cuius hæreditate agitur, quatenùs tamen subiectio ista requiratur, quod negant *Merlin. de legit. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 18. *num.* 58., *Marescott. var. lib.* 2. *quæst.* 4. *num.* 20., *Constant. ad Statut. Vrb. annot.* 39. *num.* 137., *Rot. decis.* 304. *num.* 9. *parte* 1. *diuers.* Sed veriùs de Iure videtur, vt etiam ipsa Statuto affecta censeatur; Quod enim ea nupserit extrà Territorium clar. mem. Duci Mutinæ non immutat eius natiuam compræhensionem sub Patrio Statuto, cum certi, & explorati Iuris sit, quod mulier alibi nubens exceptis ijs, quæ ipsam retraherent ab obsequijs maritalibus, in cœteris omnibus affecta remanet Statutis, & legibus suæ originis, iuxtà magis communem opinionem, quam tenuit *Bart. in l. fin.* §. *Item rescripserunt ff. ad municipale*, & post eum, aliosque plures, *Rota coram Merlino dec.* 828, *num.* 14., *& seqq.*, & in *Romana, seù Viterbien. Immissionis* 10,

Iu-

Iunii 1718. §. 4., *&* 10. *Februarii* 1719. §. *Parum officiente coram Reuerendissimo Rauennaten.* Quod etiam certiùs in præsenti casu procedit, quia memoratâ Principissa soluto per mortem viri matrimonio redijt paulò post ad Patrios Lares, ibique redintegrato per diuturnam moram annorum 24. originario eius domicilio, diem quoque obijt extremum, *Castren. in leg. cum quædam puella sub num.* 4., & ibi etiam *Cagnol. num.* 8. *ff. de Iurisd. omnium Iudic.*, *Corn. cons.* 3. *sub nu.* 5. *lib.*3., *Cephal. cons.* 171. *sub nu.* 32.

Quod verò eadem Defuncta sit de Familia Principis, neque etiam videtur eximere eam posse à censura Legum, & Statutorum suæ Ciuitatis; Si enim inuerecundum esset, quod Princeps ipse alio Iure vteretur, quam quod in alios statuit, & dicit, & præsertim cum res est de Legibus successorijs §.*vltim.Instit.quib.mod.testam. infirm.*, *l. Papinianus* §.*Si Imperator ff. de inoffic. testam.*, *l.Digna vox Cod. de legib.*, *l. Ex imperfecto* 23. *ff. de legat.*3. *l.*3. *Cod. de testam.*, *l. Si quis hæredem Cod.qui testam. fac.poss. l.*4. *Cod.ad leg. falcid.*,& seriò monent *Fulgos.in dicta leg.Digna vox in princ.*, *&* *num.*3, *Cujac. de Iust. & Iur. oper.posthum.tom.*3.*col.*6, *&* *obseru. lib.*15. *cap.*30. *ad leg. Princeps*, *&* *lib.*26. *cap.*36. *tom.*2, *Conan. Commen. Iur. lib.primo cap.*8. *num.*13, *&* *cap.*16. *num.*8, *Corase. Miscellan. Iur. lib.*2. *cap.* 25, *Vasq. Controu. lib. primo cap.* 26. *num.*7, *Mastrill. lib.*3. *cap.*3. *num.*70; *Francisc. Patric. de Regn. & Regum instit. lib.*8. *tit.*6. *de legib.*, *Borell. de Reg. Cath. præst. cap.*31. *num.* 38., *Petr. Anton. de Petr. de Potestat. Princip. ad Raynut. II. Parmæ Ducem cap.*2. *num. primo*, *& seq.*, *Gron. ad Hugon. Grot. lib.*2. *cap.*4. §.12. *litt.G*, *&* *H*, *Pufendorf. de Iur. Natur. & Gent. lib.*7. *cap.*6. §.3, & ibi *Adden. lit.B.* Si Augusta ipsa Diuini, & Humani Iuris cum Principe socia, Legibus nihilominus soluta non est, *l. Princeps ff. de legib. l.*1. *Cod. de cond. & proc. præd. Dom. August. lib. primo*, longe sanè minùs Statutis, & Legibus soluti dici possunt illi de Familia, qui vtcumque de Dignitate Patris participes sint, tantùm nihilominus ab eius fastigio distant, quantum subditus à Domino, *Adden. ad Ludouis. decis.*279. *num.*22., *Merlin. de Legitim. dicta quæst.*16. *num.*8., *Roland. à Valle consil.* 86. *numer.*54, *&* *seqq.*, *Iacob. Gall. consil.*4. *num.*23., *& seqq.*, *Cyriac. disceptat.* 29. *numer.* 46., *& seqq.*

Neque verò pacto vllo subsistit responsio illa, quod in præsenti agatur de Lege, & Statuto merè populari per Ciuitatem condito de tempore quo erat in statu libertatis, exercebatque Iurisdictionem, & Regalia cum consectario Iure ferendi leges, sicuti probari dicebatur ex actis Pacis Constantiæ, aliàs ad hunc effectum admissis à Sacro Tribunali *in vna Balneoregien. Bonorum coram*

Orano

Orano impressa apud *Mellium*, quodque propterea dictum Statutum tam ex defectu potestatis, quam ex defectu voluntatis aptum minimè sit ligare Familiam Principis, quem tùnc Ciuitas nullum habebat; Præterquamquod enim illatio ista minus recta de Iure videri potest, dum & Leges Romanorum, quibus viuere Principem, & Augustam solutam non esse, professi fuerunt Imperatores in locis mox indicatis, erant Leges à Populo Romano vt plurimum latæ in statu libertatis,& quo tempore nihil minus, quam de Principe cogitabat; Cessat insuper ex facto obiectio, quia quod Populus, & Ciuitas Parmensis vsque ab octauo Redemptionis nostræ sæculo semper fuerit sub dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adeò certum, & indubitatum est ex ijs, quæ habentur apud grauissimos Historicos *Paulum Diaconum de gestis Longobard. lib. 2. cap. 18.*, *Anastas. Bibliothec. in Vita Stephani II.*, *& Adriani Primi*, *Platinam in Vita eiusdem Stephani*, *Sigonium de Reg. Ital. lib. 3. sub anno* 736., *Petauium in ration. tempor. par. prima lib. 8. pagina mihi* 378., & ex alijs authenticis documentis non sine multa eruditione collectis in recenti *Hystor. Domin. Ecclesiast. super Ducatu Parmæ, & Placentiæ*, & etiam *in dissert. hystoric. polit.*, *& legal. alterius moderni Authoris Placentini*, vt qui contra obmutire audeat, manifestam veritatem impetere videatur.

Quamuis autem alienissimis illis temporibus, quibus Romana Ecclesia contra æquum & Ius, Partium factionibus vexata fuit, & Parma, & quædam aliæ subditæ Ciuitates per vim, & iniustam vsurpationem ab exteris Potestatibus occupatæ aliquandiù fuerint, non per hoc tamen legitimo, & antiquissimo dominio, imò verò etiam possessione, quam Sancta Sedes animo saltem semper retinuit, quidquam detractum, aut derogatum fuit, quo aut Populo Parmensi libertatem, & Regalia, aut cuiquam alteri Iurisdictionem in eum præscribere licuerit, vt benè probat *Auctor eiusdem Hystoriæ lib. 2. sub num. 2., & seqq. & in appen. docum. primo cum seqq.*, *Vgo Grot. de Iur. Belli, & Pacis, lib. 2. cap. 4. §. 11. cum tribus seqq., vbi Glossatores, Pufendorf. de Iur. Natur., & Gent. lib. 7. cap. 7. §. 5.*

Quidquid igitur in præiudicium Sanctæ Sedis dictum fuerit de istis Ciuitatibus in Capitulis Pacis Constantiæ, quam Romana Ecclesia semper reprobauit, sicuti ostendit *Author Placentinus in dicta eius dissertat. pag.* 139, & prior *in dicta Hystoria lib. 2. sub n. 2.*, & quam respectu libertatis,& absolutæ Iurisdictionis Populi Parmensis de manifesto errore etiam quoad merum factum; & possessionem redarguit ea circumstantia,quod præcisè tunc temporis Legatus Summi Pontificis Parmæ, & Placentiæ residebat, sicuti etiam testantur *Dionis. à Fano in suis hystorijs memorab.*

part.

*part.*2. *pag.*298. *in princip.*, *& pag.*299., probatque laudatus *Hyſtoricus lib.*2. *num.*2. *& ſeqq. fol.*72; Quidquid inſuper ſuper hoc incautè dixerint Doctores aliquot, vt plurimum in conſilijs ad cauſæ opportunitatem compoſitis; Illud vnum certum, & exploratum eſt, quod ſi quid Duces Mediolani, aut aliæ Poteſtates; Si quid Ciuitas ipſa, Populuſque Parmenſis contra legitimum Sanctæ Sedis dominium de facto attentarunt, aut commiſerunt, ſiue Leges, & Statuta condendo, ſiue alium quemlibet Iuriſdictionis actum explicando, nullam ſortiri potuit Iuris firmitatem, iuxtà *Textum in l. Decernimus Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. Bartol. in tract. de Tiramnid. num.* 16., *Abb. Panormit. conſ.* 94. *num.* 4. *lib.* 2., *Rot. in Aſſiſien. Hæreditatis*, impreſs. penès *Conſtantin. ad Statut. Vrb. deciſ.* 2. *num.* 5, & 7., *& coram bon. mem. Emerix deciſ.* 1239. *num.* 18. *&* 19; Cùm præſertim per reuerſionem eiuſdem Ciuitatis poſt non ita multò ſequutam ſub priſtinum, ac legitimum Sanctæ Sedis dominium, acta omnia intermedij temporis perindè irrita, ac circumſcripta remanſerint, ac ſi facta non fuiſſent, & Ciuitas ipſa ſub poteſtate Romanæ Eccleſiæ quaſi quodam Poſtliminij Iure ſemper, ac pacificè manſiſſet §. *Item ea* 17. *Inſtit. de rerum diuiſ.* §. *Si ab hoſtibus*, *Inſtit. quib. mod Patr. poteſtat. ſolu.*, *l. Eos*, *& l. Si captiuus* §. *primo ff. de capt.*, & *Poſtlim. rer.*, benè, doctèque *Vgo Grot. de Iur. Bell.*, & *Pac. lib.* 3. *cap.* 9. §. 9, 12, *&* 13, vbi *Gloſſatores*, & reſpectu legum faciunt ea, quæ in fortioribus terminis ſcripſerunt *Caſtrenſ. conſ.* 129. *in princ. lib. primo*, *Roman. conſil.* 218. *ſub num. primo*, *Anſald. conſ.* 122. *num.* 43, *& ſeqq.*, *alter Anſald. Prædeceſſor meus in Decanatu Sac. Rotæ de Commerc. & Mercat. diſc.* 19. *n.* 27.

Abſit autem vt noſtrum Sacrum Tribunal admiſiſſe vnquam dicatur Capitula Pacis Conſtantiæ ſiue pro iuſto titulo, ſiue pro legitima probatione Iuriſdictionis Ciuitatum in ea comprehenſarum; Nam quod Deciſio *in Balneoregien. Bonorum coram Orano* ita ſe habeat, vtì legitur apud *Mellium* tota fides eſt penès Tranſcriptorem; Certè apud *Sanminiatum* aliter legitur; Sacrum verò Tribunal noſtrum non ſemel aliàs experientia edoctum plures fuiſſe ad cauſarum opportunitatem falsò confictas deciſiones, non aliàs tamquam ſuas admittit, niſi quæ collectæ ſunt in Codicibus ab ipſo recognitis, & approbatis, aut quæ ſubſcriptione Ponentis roboratæ in eiuſdem Sacræ Rotæ ſanctiori Archiuio quot annis reconduntur, iuxtà conſultiſſimum Decretum iam diù ſuper hoc editum ad huiuſmodi fraudes euitandas.

Cæterùm quod nec Capitula Pacis Conſtantiæ, neque Priuilegia Othonis, & Friderici vllum legitimum titulum, ſiue quoad Ius, ſiue

siue etiam quoad possessionem Parmensi Populo tribuerint Legis condendæ, clariùs præ cæteris manifestum faciunt acta ipsa eiusdem Populi, qui benè conscius, quod Statuta per eum condita sine consensu Principis nullam sortiri poterant Iuris firmitatem, concessionem, & confirmationem eorundem, allegatis ad hunc præcisum effectum clarissimis Ciuibus suppliciter petijt vel à Duce Mediolani, quo tempore iste Ciuitatem occupauerat, vel à Summis Pontificibus Iulio II, Leone X, Clemente VII, & Paulo III. postquam eadem Ciuitas sub pristinam Sanctæ Sedis Ditionem reuersa fuit. Quid enim in causa esse potuit, cur Populus sollicitus adeò fuerit in eiusmodi confirmationibus obtinendis, nisi quod ipse agnouerit non posse aliter dicta Statuta vim legis obtinere? Porrò qui de Iure suo non diffidit, de gratia, aut priuilegio minimè curat, vt in similibus dixit *Rot. in Foroliuien. Commendæ 11. Ianuarij 1709. §. Et ob id*, ac *prima Iulij eiusdem anni §. fin. coram Eminentissimo Scotto, & in Romana, seu Florentina Pecuniaria 10. Martij 1721. §. Si igitur, coram Me*.

Hoc igitur in causa firmum, certumque maneat, nullum vnquam Populo Parmensi Ius fuisse Leges, & Statuta condendi, cùm Leges, & Statuta condere publicum Gubernium respicientia, aut abrogatiua Iuris communis sit actus Iurisdictionis, & meri Imperij soli Principi reseruatus, *l. vltima Cod de legibus*, *Faber Iurispr. Papin. tit. 2. princ. 7. illat. 3.*, alijque plures adducti per *Constantin. ad Statut. Vrbis in præl. num. 3, & seq., & num. 20, & seq., Rot. diuers. dec. 780. num. primo, & per tot. part. prima, & coram Buratt. decis. 6. numer. primo, & seqq., & in Recent. decis. 127. num. 28, & seq. part. 17, & decis. 154. num. 5. par. 18*; Inde enim tamquam ex necessario antecedenti duo consequuntur, alterum nempè, quod Statuta per Populum Parmen. condita non aliter, neque prius authoritatem, & vim Legis obtinuerint, nisi cum illis vis isthæc data fuit per concessionem, & confirmationem Summorum Pontificum, ac præsertim san: mem: Pauli III, qui illa concessit, & confirmauit in forma specifica, sicuti euincit, nedum clausula illa = *ex certa scientia* = & verbum = *concedimus* = quibus Pontifex vsus fuit, verum, & certius Decretum illud, quod à nemine præter Romanum Pontificem, eorum derogatio fieri posset, & insuper ea facti circumstantia, quod dicta confirmatio non aliter prodijt, quam præuia reuisione eorundem Statutorum per Papam specialitèr delegata Auditori Generali Reuerendæ Cameræ, & non sine pluribus modificationibus, cassationibus, & immutationibus, in quibus terminis nemo est, qui ambigat confirmationem esse specificam, & non simpliciter in forma communi, vt latè firmant *Iouu. de Solemn. in*

con-

contract. Minor. gloss.8.§. 3. numer.3, & 7, & num.91, & 93. & §. 9. num. primo, Costant. in dicto Præl. numer. 59, & 60, Rota coram Bichio decis. 381. numer. 24, & 25., & in Recent, decis. 438. num. 56. part. 4. tom. 2., & decis. 262. num. 4. part. 19.

Alterum verò quod nullus amplius superesse potest dubitandi locus ad effectum afficiendi Familiam Principis, vel de potestate, vel etiam de voluntate, quæ in materia legum ab ipsa potestate modum, & fines recipit; Vtcumque enim sublimis, & excelsa huius Serenissimæ Farnesiorum familiæ conditio sit, & maximè Ducis, in quo Dignitas Principatus cum plena Iurisdictione refulget; Ipse tamen nedùm vltrò profitetur, sed gloriatus quoque se Subditum, ac Vassallum Summi Pontificis, ac S. Romanæ Ecclesiæ, cuius nomine eius Familia de Ciuitatibus Parmę, & Placentiæ à fa. me. Paulo III. Iure Feudi inuestita fuit; Cum itaque fa. me. Paulus III. antequam in dicto Ducatu Parma, & Placentia Familiam Farnesiam inuestiret, sua fecisset Statuta, iam prius à Parmensibus sine legitima Iurisdictione condita mediante dicta speciali confirmatione, qua illis vim, & authoritatem legis habere dedit, eo etiam expresè superaddito, vt ijsdem Statutis hoc pacto confirmatis, nemo præter Romanum Pontificem derogare posset; Iam indè consequitur, vt sicuti dubitari nequit, quin eiusmodi Statuta per talem concessionem, & confirmationem eleuata fuerint ad gradum legis Pontificię, iuxtà *Text. in cap. Si Apostolicæ de Præben. in 6. & in l. prima §. Omnia C. de vet. iur. enuel. Bald. in l. ex placito num. 15. C. de rer. permut. Abb. in cap. Cum accessissent num. 2. de Const. Ruin. cons.130. num.7. & 8. lib.5. Rimin. sen. cons.338. num.23. & seqq. Fenzon. in præfat. ad Stat. Vrb.num.49., bon. me. Ansald. de commerc. & mercat. disc.19. num.10. Rot. coram Scraph. decis.794. num.26. & coram Caualer. decis.45. num.3. & coram Dunoz. Iun. decis. 690. num.8.* Ita neque controuerti valeat, quin tam filij, & filiæ, quam cæteri de hac Inclita Familia eisdem Statutis tamquam legibus à Supremo Domino latis teneri, atque affici debeant, cum & ipsi Ciues sint, pro quibus Statutum conditum, & confirmatum fuit, & respectu ad Summum Pontificem sine dubio subditi, vt in puncto firmant *Rolan. cons. 86. num.25. & seqq. & sub num.68. lib.1. Surd. cons.535. n.15. & 16. & cons.210. num.26. & seqq. Riminald. sen. cons.338. num.26. & seqq. lib.2. Forster. de success. ab intest. lib.4. cap.24. quæst.3. num.27. Phanuc. de lucr. dot. gloss. 1. num.4. in fin.* Ciuitas enim per infeudationem transit in Feudatarium cum suis Statutis, & legibus prout erant ante illam *Afflict. in Prælud.*

Const.

Const. Regn. quæst.20. num.1. & 2. Roman. cons.218. num. 1. Carpan. in Prælud. Stat. Mediolan. num.523. & seqq. alijsque omissis de hoc ipso Statuto Parmæ Peregrin. cons.2. num.27. & 28. lib.1.

Neque verò ex hoc quod filij, & cæteri de Familia subiecti dicantur legibus Ciuitatis quidquam detrahitur dignitati, qua Serenissimus Dux ex beneficio eiusdem S. Sedis refulget; In hoc enim ipse cæteros Parmæ Ciues, & ipsos etiam filios, ac reliquos de Familia quam longissimè supereminet, quod ipse ex diplomate Pontificiæ Inuestituræ fruitur potestate condendi leges, & Statuta, *& ibidem conditas, & condita, confirmatasque, & confirmata emendandi, & moderandi prout S. Romanæ Ecclesiæ similes Feudatarij de Iure, vel consuetudine facere possunt, & consueuerunt*, sicuti legitur in Instrumento ipsius Inuestituræ per exteusum transcripto *in append. d. Historię Parmæ, & Placentię document.* 41. §.11. *fol. mihi* 367. Cæterum cum Duces eius Antecessores Statutum hoc successorium semel, & iterum approbauerint, & confirmauerint, iam ex hoc ipso inferre licet, vt ex eorum quoque voluntate, & placito filij, & cæteri de Familia eodem Statuto afficiantur; Cum enim, & ipsi leges aliquas agnoscere debeant, longè magis congruum, honestumque est, vt agnoscant jus istud à legibus duodecim Tabularum, & media jurisprudentia descendens, moribus, & Statutis nedum Patriæ, sed totius ferè Italiæ, imò etiam vniuersæ Europæ receptum, & tàm Supremi Domini, quàm domestica auctoritate immediati Principis approbatum, quam nouissimas Iustiniani leges, quas & Patriæ mores, & Placitum tum Supremi, tum quoque immediati Domini penitùs abrogarunt; Aliàs nisi & ipsi hoc jure, quod in propria Ciuitate commune est, sicuti cæteri, vtantur in ijs, quæ ad Patrimonium priuatum pertinent, nihil erit quare exploratam illis possit esse, quid suum, aut quid alienum sit; nihil quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse possit, vt benè ad rem inquit *Marcus Cicero in oratione pro Cecin.*

In hanc autem Sententiam eo procliuius PP. iuerunt ex duabus valdè insignibus facti circumstantijs; Prima est quod Statutum de quo agitur deferens fratribus hæreditatem eius, qui sine liberis ab intestato decesserit, quidquid sit de alijs Capitibus congruitatem dotis, & alia eiusmodi respicientibus, in hac sanè parte est valdè proportionatum filijs, & Familiæ Principis; Cum enim præcipua, & intrinseca Statuti ratio non alia sit, quam vt bona in agnatione Defuncti diutiùs conseruentur; Publicè autem longè magis, quam Familias, & agnationes Priuatorum

con-

conseruari, & augeri intersit Familiam Principis diuitijs, & opibus pro dignitate, & sublimitate eius conditionis quàm maximè necessarijs *L. prima §. Quis sit vers. publicè ff. de ventr. inspicien. Sanchez de matrim. lib.8. disput.19. n.31. Dian. Coord. tom.3. tract.1. resolut.79. n.15. Lezzan. cons.11. n.26. & seq. Gaill. pract. obseru. lib.2. obser.127. num.2.* Indè est quod vbi etiam ageretur de Statuto condito, vel confirmato per immediatum Principem, penes quem summi Imperij jus esset, nihilominus eius filij, & Familia non secus, ac cæteri Ciues illo afficerentur, quippè quia præsumi non potest quod Princeps, qui per eiusmodi Statutum consuluit, & prospexit agnationi cæterorum de Populo, sibi tantùm, & agnationi suæ prouidere noluerit, vt in puncto probant *Rolan. cons.86. num.66. & seqq. lib.1. Surd. cons.525. num.15. Gall. cons.4. num.29. & seqq. & cons.9. n.4. Menoch. de præsumpt. lib.2. præsumpt.5. sub num.8. Merlin. de legit. lib.3. tit.1. qu.16. n.10.*

Altera, & quidem grauior facti circumstantia est, quod in hac ipsa, de qua agitur, Principali familia, tum Principissa Catherina anno 1662., tùm Principissa Margarita anno 1692., tum denique Serenissima Elisabeth anno 1714. sese eodem Statuto affectas agnouisse videntur, dum ad effectum validè renunciandi earum bona, & iura, occasione qua in Domino, & respectiuè in sæculo nupserunt, ex speciali rescripto Ducum derogari obtinuerunt statuto Parmæ *de solemnitatibus obseruandis in Contractibus minorum, & filiorum familias, & de insinuandis donationibus*, sicuti apertissimè probant publica documenta mihi ad hunc effectum exhibita; In quibus omnibus cum tam in petitione, quam in concessione derogationis, ac tota rei gestæ seriè absolutè, & assertiuè processum fuerit, nil est curandum de particula illa *forse*, quæ in prohæmio petitionis tam à Ducissa Margarita, quam à Serenissima Elisabeth vsurpata fuit, tum quia in renunciatione Principissæ Catharinæ dictio ista *forse* nullibi legitur, tum etiam quia derogatio, & dispensatio non ad cauthelam, sed absolutè, ac purè petita, & respectiuè indulta certum, & absolutum Statuti obstaculum pernecessè præsupponit, vt alias in simili dixit *Rot. dec.373. n.4. par.13. & dec. 354. n.20. & seqq. & n.35. par.19. rec.*

Престереà cum tam Principi Petro, quam Principi Horatio sine liberis ab intestato defunctis superstites fuissent Dux Raynutius Frater, & Principissa Maria Magdalena Soror, non modo non docetur eandem Principissam fuisse ad illorum hæreditatem admissam vna cum Duce Fratre; Sed imò quod attinet ad hæreditatem Principis Petri constat ex diuerso, eam à solo Fratre

fuisse

fuisse aditam, sicuti deponit testis Sacerdos, & familiaris, ac meliùs probat appropriatio bonorum defuncti Principis facta per memoratum Ducem, quæ certè alio, quam ad titulum hæreditarium referri nequit, dum licèt idem Dux esset Creditor fratris, si tamen hæreditas fuisset iacens, nequiuisset illius bona sibi appropriare nisi post datum hæreditati Curatorem *l. prima ff. de Cur. bon. dand. l. Curator ff. de Curat. Salgad. in labyrinth. par. 1. cap. 2. §. 1. num. 1. & seqq. Rot. coram Duran. decis. 84. num. 9.* Vnde cum dd. bona absque alia Iuris solemnitate sibi ipsi addixerit, ne actus iste redoleat illicitam occupationem, quæ in Principe non præsumitur, omninò superest, vt referatur ad Ius, & nomen hæredis, cui soli quatenùs creditor defuncti sit prout esse sine dubio potest *l. quod si possessor. 19. & l. vltim. §. Sin autem. ff. de petit. hæred.* benè de jure licèt in causam eius crediti bona defuncti appropriare, *l. Si ei §. Primo ff. de euict. Soccin. Iun. cons. 170. num. 5. lib. 2. Rot. coram Seraph. dec. 1284. in princ. & cor. Ludouis. dec. 67. n. 10. & in rec. dec. 172. n. 10. & seqq. par. 7.*, & sæpè alibi.

Si igitur illi de hac Excelsa Familia sese affectos Statuto agnouerunt respectu solemnium etiam in Contractibus cum ipsis Ducibus, & eorum fauore celebrandis, non obstante quod eiusmodi Statuta longè minùs proportionata sint eorum dignitati, quam istud successorium, de quo modo agitur ad *Text. in l. penult. C. de donat. inter vir., & vxor. Cuiac. de Iust. & Iur. oper. Posth. col. 33. in fin. Artur Duk. de auctor. Iur. Ciuil. Roman. lib. 1. cap. 3. §. 11.* Si prætereà cum alias Defuncto sine liberis superstites fuissent frater, & soror, ista penitus exclusa, solus frater hæreditatem adijt; Iam ab omni dubitatione vacat, quod etiam illi de Familia Principis Statuto Parmæ afficiantur, cum obseruantia sit præ cæteris omnibus fidissima legum, & Statutorum Interpres *l. si de interpret. & l. seq. ff. de legib.* atque in puncto concludunt *Hugo Grot. de Iur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 7. §. 11. num. 8. Gall. d. cons. 10. n. 7. & seqq. Gobb. de success. ab intest. obseru. 4. nu. 9. & seq. Merlin. de legit. lib. 3. qu. 16. n. 13.*

Quæ cum ita sint irritus fortè labor videri poterat Doctoribus in contrarium allegatis quidquam respondere, cum Sac. Rota soleat eam sequi Sententiam, quàm rationum pondus, non quam numerus Doctorum commendat, vt per *Text. in l. 1. §. Sed neque C. de veter. Iur. enucl.* alias dictum fuit in *d. Fauentina Successionis §. 6. in fin. cor. R.mo Aldrouando*: Sed ne quid in causa graui diligentiæ, & Curæ videretur omissum Patres singillatim recognitis Doctoribus omnibus pro contraria opinione cumulatis, alios loquiaduerterunt in casu, quo de ipso Principe, eiusque hæreditate

passi-

passiuè agatur, alios in terminis, quod Statutum fuerit validè, ritèque conditum à Ciuitate libera in statu libertatis, & deindè illi vel nulla Principis confirmatio, vel tacitus solum assensus super accesserit, aut si etiam expressus, in forma tamen communi: alios denique de Statuto odioso, pœnali, aut ex alio capite filijs, & familiæ Principis minimè proportionato; Nullum verò in terminis, quod Statutum sit fauorabile, & proportionatum, sed tamquam conditum à Ciuitate subdita pro eius validitate indiguerit confirmatione Principis, & de facto confirmatum fuerit à Domino Supremo in forma specifica ante Infeudationem; Deindè verò post infeudationem à Principibus Feudatarijs confirmatum fuerit, & obseruatum etiam ab illis de familia ipsius Principis Feudatarij, proùt est Statutum Parmæ, de quo agitur.

Et ità *videntibus omnibus PP.* resolutum fuit vtraque &c.